



I. Abteilung: Abhandlungen.

Mitteilungen aus den lateinischen Handschriften zu St. Petersburg.

Von Dom Antonio Staerk, O. S. B.

(Schluß zu Heft 4, 1909, S. 574—588.)

§ 2. Codex lat. F. v. I. N^o 4.

Ex monasterio *Corbeiensi*.¹⁾ 45 fol. [61—104. q II et III
+ X—XIII.] 232 × 190 mm. 23 lin. lit. unc. Saec. VIII.

Chrysostomi, de reparatione lapsi.

Früher bestand diese Handschrift²⁾ aus 104 fol. und enthielt

Fol. lv ein Gedicht von 101 leonischen Versen über den heiligen Laurentius. Dasselbe ist von einer Hand des XII. Jahrh. geschrieben und fängt also an:

„¹ Non suis omentum, non intestina bidentum,
Non bouis aruinam, non thus carnemque caprinam,
Sed carnem propriam quo gratior hostia fiam.

¹⁾ Cf. *Delisle*, Les Cabinet des Manuscrits II, 428. N. 28.

²⁾ *Codex Sangermanensis* N. 197 cf. *Nouveau traité de Diplomatique* III, 171: „... Celui, qui nous a fourni cet exemple d'écriture mérovingienne ou franco-gallique est le 197. de la bibliothèque de S. Germain des Prés. C'est un *in-folio* en écriture mérovingienne, caroline et capétienne. La plus ancienne a l'air du VIIe. Siècle...“ Und Seite 224: „Il (*le manuscrit*) est de l'ancienne et fameuse bibliothèque de Corbie. Il est de forme carée, et paroit récrit presque partout. Il y a des virgules et des points. Mais ils ont presque tous été détruits ou gatés par une ponctuation postérieure. ... Les solécismes et les fautes d'orthographe y sont très-fréquentes. L' O exclamatif y est désigné par une virgule, qui le suit. Il y a beaucoup de notes de Tiron en marge et en interligne.“ —

Viscera torta uora, scelus est, sed agis grauiora,
^{10.} Qui torres nudum quasi nolis mandare crudum.“

Fol. 2—60: Omeliae Origenis de Balaam et Balac. Dieser Teil der Handschrift wird im *British Museum* zu London aufbewahrt.¹⁾

Fol. 61—104. Iohannis Constantinopolitani de reparatione lapsi.

Heute befinden sich in St.-Petersburg das Gedicht über den hl. Laurentius) und das Buch des hl. Chrysostomus *de reparatione lapsi*. Da nun dieser handschriftliche Text zum Teil ganz anders ist als der, den wir nach der bisherigen Ausgabe²⁾ kennen, so lassen wir ihn hier folgen.

Folio 2r:

INCT̄ LIBR̄ DE REPARA
TIONE LABSI SC̄I
IOHANNIS CONSTANTINOPOLITANI
EPISCOPI

' o/s/a/u/r/e/i//////////''/

Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum? [Jer. 9, 1.]

Oportunius multo nunc a me, quam tunc a propheta Dei dicitur. Licet enim non urbes multae, nec gens integra lamentanda sit mihi, anima tamen flenda est multis gentibus nobilior multisque urbibus praetiosior. Nam si unus, qui fecit voluntatem Dei melior est quam multitudo iniquorum: melior ergo et tu eras quondam, quam multitudo iniquorum; propter quod nemo miretur, si forte prolixioribus ego nunc utar lamentationibus et amarioribus⁴⁾ profundam fletus, quam tunc propheta profudit. [2v]. Non enim urbis, ut dixi, captae excidia defleo, nec vilis vulgi captivitatem lamento, sed insignis animae lapsum et templi, in quo Christus habitabat, excidium. Si quis enim ornamenta quondam animae tuae novit, quae nunc diabolica flamma consumsit: Si quis templum corporis tui contemplatus est, tunc cum castitatis splendore fulgeret, parvam profecto et valde inferiorem illam propheticam lamentatio-

¹⁾ Fonds Burney N. 340. Vgl. Staerk, Les Manuscrits latins du Ve du XIII^e siècle conservés à la bibliothèque Impériale de Saint-Petersbourg. Description, Textes inédits, Reproductions autotypiques. Saint Pétersbourg. 1910. Tom. I, 23. Dieses Werk ist zu beziehen bei Franz Krois, Saint Pétersbourg, 102. Fontanka, 102.

²⁾ Cf. Nouveau Traité de Diplomatique III, 224: „Les feuillets, qui ont servi à la couverture du ms. contiennent le martyre de S. Laurent en vers leonins, écrits au XI ou XII^e siècle, et non pas le martyre de S. Sixte, comme il est dit dans la notice, qu'on lit à la tête du ms.“ —

³⁾ Cf. auch Migne, Patrologia Graeca. Tom. 47, 277: ΛΟΓΟΣ ΠΑΡΑΙΝΕ ΤΙΚΟΣ ΕΙΣ ΘΕΟΔΩΡΟΝ. Diese alte Übersetzung würde bezeugen, daß der jetzige griechische Text interpoliert wäre.

⁴⁾ Cod.: amarioris.

nem putabit, in qua barbaricae manus sancta sanctorum poluisse deflentur et sacras aedes¹⁾ populatus hostilis, ubi contaminata Cherubin et arca ac propitiatorium, tabulaeque lapideae et urna²⁾ aurea lamentantur? Haec enim lamentatio, quam ego defleo tanto illa durior et amarior, quanto verius cuncta. Haec³⁾ evidentius in tua anima, quam intra illius templi parietes erant. Hoc, hoc sanctius multo fuit, quod in te erat templum: Non enim auri et argenti metallo, sed virtutibus animi et donis sancti Spiritus [3r] radiabat. Habebat enim archam intra se et duo Cherubin, id est fidem Patris et Filii et Spiritus sancti sitam: Sed nunc nihil horum est.

Ablata sunt cuncta haec ab anima tua, nudata est omnibus ornamentis suis cunctisque, quae divinitus consecuta fuerat, munerebus spoliata remansit deformis ac turpis, periit ab ea omne munimen⁴⁾ omnisque custodia. Non jam ostium in ea clauditur, non servatur ingressus, sed patet omnib(us) maligni[s]⁵⁾ spiritibus, ad corruptelam animae festinantibus. Nulla inde turpis cogitatio, nulla cupiditas fedare pelletur, sed si venerit fornicationis Spiritus in greditur. Si jactantiae, si avaritiae et si horum nequiores⁶⁾ venerint, nemo prohibet, nemo propellit, nullus enim ei custos,⁷⁾ nullus remansit aditus. Nam prius sicut ad coeli secreta nullus hujusmodi malis indulgitur⁸⁾ accessus, ita nec purissimam mentem tuam penetrare poterat ulla contagio. Sed fortasse incredibilia videar loqui apud eos [3v] praecipue, qui priora tua nesciunt, sed hanc, quae nunc est, animae tuae destructionem vident. Inde utique est, quod ego inremediabiliter plango: Quia dum recordor usquequo iterum te repedare videam ad prioris gloriae statum, quod etsi apud homines impossibile videtur, apud Deum tamen omnia possibile sunt. Ipse est enim *qui allevat a terra inopem et de stercore eriget pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*⁹⁾ Ipse est *qui sterilem facit in domo, matrem super filios iactantem.* Non ergo dubites, neque desperes mutari te posse in melius. Si enim tantum potuit diabolus, ut a celsis virtutum fastigiis in profundum te deduceret malorum, quanto magis poterit Deus ad summum te bonorum verticem revocare. Et non solum in id¹⁰⁾ restituere quod fuisti, sed et beatiorem multo quam prius videbaris efficere.

1) Cod.: aedis.

2) Cod.: orna.

3) Et *add. sup. lin. 2. man.*

4) Cod.: monimen.

5) *S. add. sup. lin.*

6) *2. man. add.:* Et iniquiores.

7) Cod.: Custus.

8) Cod.: indulgetur.

9) Ps. 112, 7-9.

10) *Te add. sup. lin. 2. man.*

Tantum est, ne concidas animo, neque spem tibi abscidas [4r] bonorum; ne, quaeso, accedat tibi quod impiis solet: non enim multitudo peccatorum in desperationem adducit animam, sed impietas; et propterea Salomon non dixit quia omnis qui venerit in profundum malorum contemnit, sed *impius*, inquit, *si venerit in profundum malorum contemnit.*¹⁾ Impiorum ergo est desperare salutem et contemnere, cum in profundum malorum venerint: non peccatorum impietas enim non sinit eos ad Deum respicere et illuc redire unde lapsi sunt. Ista ergo cogitatio, quae spem conversionis abscidit, ab impietate descendit et sicut lapis gravissimus cervicibus animae incumbens, semper eam deorsum²⁾ in terram cogit aspicere, ad Deum vero suum non sinit oculos elevare. Sed virilis animi est et praeclaræ mentis deficere a cervicibus animae suae pondus, inimicum immo depræmentem se abjicere diabolum et imperare animae suae, ut canens verba prophetica dicat ad Deum: *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum et sicut oculi ancillae in manibus Dominae suae*, [4v] *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. Miserere nobis Domine miserere nobis, quia multum repleti sumus despectione.* Praeclara vero in his verbis et caelestis philosophiæ doctrina est: *Repleti*, inquit, *sumus despectione.*³⁾ Hoc est quod docere nos voluit: quia et si pro peccatorum nostrorum multitudine repleti sumus despectione atque opprobriis adoperti sumus; oculi tamen nostri ad Dominum Deum nostrum sunt, donec misereatur nobis, nec prius ab obsecratione cessemus quam inpetrare peccatorum veniam mereamur. Hoc enim vere est constantis animae et pertinacis, ut nequaquam repellatur a perseverantia deposcendi, desperatione inpetrandi, sed et perseveret ac persistat in obsecrationibus donec miseretur nobis. Et ne forte arbitreris te offensam magis contrahere apud Deum, si, cum non merearis audiri, inportunius persistas in precibus. Recordare evangelii parabolam et ibi invenes, [5r] quod perseverantes et inportunos precatores Dominus non sibi ostendit ingratos: ait enim *quia et si non dabit ei, propter quod amicus est, propter inportunitatem tamen ejus surgit et dabit ei quantum opus habet.*⁴⁾

Intellige ergo, Carissime, quia propterea diabolus desperationem subjicit inpetrandi, ut spem nobis Dei bonitatis abscidat, quae est salutis nostrae anchora, vitae nostrae fundamentum, dux itineris, quo itur ad coelum. Denique apostolus dicit: *Spe autem salvi facti sumus.*⁵⁾ Spes ergo est in qua salus nostra constitit et quae de terris animas velut quibusdam catenis caelitus dependentibus in-

¹⁾ Prov. 18, 3.

²⁾ Cod.: deorsum.

³⁾ Ps. 122, 2. 3.

⁴⁾ Luc. 11. 8.

⁵⁾ Rom. 8, 24.

nexas evehit ad superna et revocat ad sedes caelestes eos, qui sibi vehementius inherent celsioresque eos vitae hujus ac terrenorum malorum turbinibus reddet. Si quis ergo inter haec positus resolvatur animis et salutaris spei anchoram dimittat e manibus, decidat necesse est et in abyssum atque in profundum malorum necetur. — [5v] Quod cum senserit inimicus et viderit nos peccatorum nostrorum multitudinem per(h)orescentes increpationibus etiam ipsius conscientiae deterreri, accedit ipse et cogitationis nobis subjicit desperandi plumbo omni et omni harena graviore, qua(s) si recipemus; necesse est nos statim pondere ipso, abruptis salutis nostrae retenaculis, in profundum demergi malorum. In haec ergo et tu dejectus, boni et mitis Domini praecepta nunc spernis, crudelis autem et inmitis tyranni atque inimici salutis tuae voluntatibus pares. Abjicisti suave jugum Christi et duras ac ferreas pro eo imposuisti cervicibus tuis peccatorum catenas. Abjicisti onu(s) leve humilis et mitis Domini et pro eo molam asinariam collo tuo adpendisti. Sed quousque pertendis? Sta jam et desine infelicem animam sine respectu aliquo, sine ulla recordatione, demergere. Quousque perurges eam et praecipitas in interitum? Et quidem mulier illa, quae in evangeliiis drachmam,¹⁾ quam perdiderat invenit, convocat vicinas et amicas, ut congratularentur ei²⁾ [6r]. Ego autem convocabo amicos tuos meosque ac vicinos nostros et praecabor eos convenire non ut gaudeant, sed ut lugeant mecum; nec ut gratulentur, sed ut lamentur et ingentem planetum, sublatis ad caelum una mecum vocibus, reddant et dicam ad eos: Ululate mecum, o amici et plangite: profundite mecum fontes fletuum et producite flumina lacrimarum, non quia auri pondus immensum, nec argenti talenta innumera amisi de manibus meis; non quod gemmarum fila praetiosa perdiderim, sed quia horum omnium carior et omni auro omnique gemma praetiosior amicus, qui una nobiscum vitae hujus pelagus et mare hoc magnum spatiosumque navigabat. Nescio quomodo lapsus usque in ipsum fertur perditionis profundum.

Quod si aliqui ex amicis consolari me volunt et a lugendo prohibere prophetis ad eos respondeam vocibus dicens: *Sinite me amarissime flere nec persistatis consolari me.*³⁾ Non enim lugeo pro carnis affectu, nec planetum plango femineum, [6v] ubi immoderatio lacrimarum culpabilis iudicatur, sed illud lugeo quod et magnus ille ac mirabilis apostolus Paulus lugere se dicit cum scribit: *Et lugeam omnes qui peccaverunt et non egerunt paenitentiam.*⁴⁾

Nam eos, qui pro communi hac morte carorum immoderatis planetibus adfliguntur, merito quis notabit? Ubi vero non corporis

1) Cod.: Dragma.

2) Luc. 15, 9.

3) Is. 22, 4.

4) Cor. 12, 21.

sed animae vulnera lamentantur et ales animae, quae in ipsa etiam morte signa prioris pulchritudinis et admirandi decoris ostendat atque extinctum in semetipsa flore virtutum, indiciis adhuc sperantibus, prodat: Quis tam crudelis et ab affectu totius virtutis alienus est, qui non moveatur ad luctum, non excitetur ad lacrimas? Sicut enim pro morte communi philosophicum¹⁾ est a lacrimis temperare, ita in animae morte; et talis animae consolationem recipere et insipiens et inreligiosum duco. Quomodo enim non videbitur sine intermissione lamentandus is, qui dudum [7r] omnem pulchritudinem in corporibus tamquam in lapidibus aspeciebat, qui aurum sicut lutum ducebat, qui delicias cunctas ut caenum respuebat? Hic, subitis febribus libidinis ac voluptatis adreptus, sanitate simul atque ornamento mentis extincto, virtutibus quidem perit, solis vero vitii et voluptatibus vivit. Huncine ego non plangam? Huncine ego non rigem toto flumine lacrimarum. Usquequo, si potero, fletibus meis resuscitem sensus ejus et vitalis aliquos ex eo motus tepor eliciat lacrimarum? Si enim hii, qui corpora lamentantur, cum sciant et certi sint, nihil prodesse fletus suos ad vitam defuncti revocari, tamen a lamentatione non possunt: nos, qui scimus a morte animam revocari posse, per conversionem, quomodo non medicamentum paenitentiae, quo magis patiscentibus morbis recipi possit, lacrimis uberioribus emollimus, quinimmo et ignaviae nos arguendos puto, si cum (7v) lamentatores corporum mortisque communis tam durae et tam vehementer hoc faciunt, certi, ut diximus, quod non resuscitabunt mortuum suum. Nos nihil tale pro animae lamentatione facimus, quam restitui in statum suum posse per paenitentiam noverimus. Nam *in inferno*, inquit, *quis confitebitur tibi?*²⁾ Scimus enim plures et nostris temporibus et memoriam majorum prolapsos ab itinere recto et praecipitatos ab ingressu viae angustae, ita rursus esse reparatos, ut posterioribus priora transierent atque ad palmam pervenirent et coronam numeroque rursus et choro inscripti credantur esse sanctorum; sed donec permanet quis in ipsa adhuc flamma ac fornace libidinum, haec ei impossibilia videntur, etiamsi mille provocetur exemplis. Si vero caeperit fieri vel parva conversio et initium dederit repedandi, paulatim procedens et ad superiora referens pedem, illa quidem quae vehementior erat flamma post tergum [8r] remanebit. Ante pedes vero quanto acrius coeperit incedere, tanto omnia inveniet divini cuiusdam roris sopitare frigerio. Tantum est ut unum quod praecipue inimicum est saluti huic caveamus. Inimica autem est conversioni et paenitentiae desperatio, quae si insederit mentem, quantum cumque sit salutis desiderium, quamvis sit grande salvandi propositum, desperatione

¹⁾ *Cod.*: filosoficum.

²⁾ *Ps.* 6, 6.

occurrente, omnes salutis aditus obstruentur. Intersecta enim poenitentiae via claudetur pariter et agonis ingressus et quomodo jam poterit qui extra via est et cui ostium clauditur, boni aliquid operis implere, cum ad bonorum non veniat ingressum desperatione prohibente? Propter hoc et diabolus omnibus modis machinatur, hujusmodi cogitationes plantare in cordibus nostris. Si enim nos desperationis metus procul a via virtutis effecerit, nullum ei adversum nos certamen ultra remanebit; quem enim inpugnat, cum nullus obsistat. Si quis autem [8v] istum resolvere potuerit vinculum, Continuo vires suae redeunt ad eum et incalescit vigor animi. *Delectabit*¹⁾ rursus instaurare certamina. Videbit enim refugere eum, quem fugiebat et persequi persequentem; quod et si forte, ut se habet agonis condicio, rursus labatur aut cadat, non continuo lapsus sui pudore desperare iterum debet, sed meminerit hanc esse agonis et certaminum legem: Non ut nusquam quis cadat, sed ut numquam cedat, quia non ille, qui saepe cecidit victus dicitur, sed ille qui ad ultimum cessit. Nam qui desperationis cogitationibus victus est, quomodo vel vires reparare certandi, vel resistere ac repugnare potest, cum fugiat, nec omnino redeat ad certamen. Et nolo, *putes*,²⁾ quia de his mihi sermo sit tantum, qui in paucis et levibus peccaverunt; de illo loquor, qui omnibus subcubuit malis, qui immanitate scelerum viam salutis sibi excluserit regni caelorum et non [9r] de infidebus fuerit, [*sup. lin. add.:* sed de fidelibus] et ex his qui prius placuerint Deo, post haec autem deciderit vel in adulteria vel in omnes impudicitias, quae ut apostolus ait: turpe est etiam dicere, nec hunc ego dico salutem desperare debere, etiam si ad ultimam huiusmodi malis obsessus pervenerit senectutem. Sed quae sit ratio dicti hujus absulta, si irae Dei passibilis esset affectus, recte diceremus non posse jam restingui flammam, quae tot ac tantis peccatorum succensa sit malis.

Cum vero impassibilem esse naturam divinam definitio veritatis ostendat, intelligere debemus, quia etiam si punit Deus, etiam cum paenas infert non hoc cum ira passibili, sed cum ineffabili clementia³⁾ facit medentis, non perementis affectu et ideo valde libenter recipit paenitentiam: paenitentiae enim medicamentum, si praeveniens cor et animam, non facit eam ad medicamenta iracundiae pervenire pro his, quae commisit in Deum. Non enim, ut diximus, propter semetipsum vindicat Deus in peccatorem [9v] quasi ulciscens in juriam suam: nihil enim tale recipit⁴⁾ in se natura divina, sed ad utilitatem nostram facit omnia, pro utilitate nostra et correptiones infert et poenas, non ut se vindicet, sed ut nos emendet. Quod

¹⁾ *Cod.:* delectavit.

²⁾ *Cod.:* potes.

³⁾ *Cod.:* elementiam.

⁴⁾ *Cod.:* cepit, sed 2. man. cor.

si persistit quis in duritia sicut ille, qui avertit a luce oculos suos, damnus quidem luci intulit nullum, semetipsum vero tenebris contemnavit: ita et qui per cor inpoenitens contemnere se putat virtutem Dei, semetipsum alienum efficit a salute.¹⁾ Quodsi medicus ab his, qui vel frenesim patiuntur, vel cerebro moti sunt, patitur injuriam, sed neque dolet pro hoc, neque irascitur, sed facit omnia, quae medendi ratio deposcit, quibus cruciari videatur, ille qui patitur. Porro autem cruciatus ipse non est injuriarum vindicta, sed cura languentis. Denique si parum quid aeger proficere coeperit ad salutem, statim videas gaudere medicum, laetiusque et alacrius exequi reliquam curam, ne usquam prorsus injuriarum memoriam, sed salutis in omnibus [10r] gerere prospectum. Quanto magis Deus etiam, si in ultimam deciderimus insaniam, non ultionis affectu pro his, quae commisimus movetur in nos, sed cupiens visceribus nostris inveteratos vitiorum curare languores.

Pro hoc et dicit omnia et agit, cupidus sanitatis nostrae, non poenae: quod quamvis ratio ipsa pietatis sufficienter ostendat, tamen et ibi de hujusmodi sententia dubitatio ulla videatur. Possumus haec etiam ex divinis scripturis, quod ita se habeant, edocere. Dic enim mihi quid sceleratius fuit rege Babylonio, qui cum in multis expertus esset potentiam Dei, ita ut prophetam ejus adoraret et juberet ei thus et hostias et manna immolari? Rursus tamen ad priorem adversus Deum superbia devolutus est et eos, qui imaginem [ejus]²⁾ adorare noluerunt, praeferentes venerationem Dei, vinctos in fornacem misit ignis ardentis; et tamen hunc tam inmanem, tam impium provocat Deus ad paenitentiam et dat ei convertendi materiam. Primo quidem ex hoc ipso, quod ei in fornace [10v] ignis tribus pueris sociatus apparuit; tum deinde quod visionem vidit illam, quam interpretatus est Danihel, quae vel sola sufficeret etiam lapidea corda mollire, sed postquam rebus admonitus est, accessit etiam sermonum prophetae³⁾ cohortatio; accepit enim et prophetae consilium dicentis: *Propterea, o Rex, consilium meum placeat tibi et peccata tua elymosinis redime et iniquitates tuas misericordibus pauperum: fortassis erit patientia in delictis tuis.*⁴⁾ Quid dices ad haec, vir sapiens et beate, post tantos lapsos est adhuc reditus? Est, mihi crede, est quia et post gravissimam aegritudinem atque ab ipso pene mortis confinio redit sanitas et post desperatam insaniam multi resipiscunt. Ecce enim ut supra memoravimus, rex iste babylonius omnes, jam sibi aditus salutis excluserat per id, quod Deum, qui se fecit et ad fastigia regni celsa perduxit, qui sibi cae-

¹⁾ Cod.: salutem.

²⁾ 2. manu add.

³⁾ Cod.: prophetam.

⁴⁾ Dan. 4, 24.

lestia etiam mysteria revelavit, qui futurorum quo[que]¹⁾ scientiam dedit et regni totius arcana reseravit, qui magicas, astronomicas [11r] Gazarenas Chaldeicasque praestigias prophetae sui divina interpretatione confudit et ineffabile sacramentum unius captivi pueruli sapientissima dissertione patefecit, ita ut non solum credere summo Deo videretur, sed et in omni orbe Deum Danihelis, Deum verum esse praedicaret. Non solum hunc ipsum negavit post haec, sed et in tantam rursus insaniam devolutus est, ut serv[os] Dei qui non adorarent imaginem suam, in fornacem praecipitaret ignis ardentis, et tamen ne tibi quidem curae et remedii ejus obliviscitur divina miseratio, sed in ipso, ut diximus, ignis medio ubi flammis tradiderat pueros Deum colentes. Etiam ibi eum non terroribus, sed mirabilibus mitigat: potuerat enim et ignem restinguere et imbres caelitus inundare. Sed hoc non facit, ne plus accendat insaniam, sed permittit in tantum exagerari flammam, quantum furentis desiderabat inmanitas et non inferri poenas prohibet, sed inlatis potestatem permittit cruciandi et, ne quis videns non uri pueros, [11v] putaret fantasma esse flammam, quae videbatur, permisit exuri poenarum ministros, eos scilicet, qui circa fornacem stabant, ut ostenderet, quia vere ignis erat, qui videbatur: sed erat praeceptum Dei ignis virtute validius.²⁾ Omne enim quod est, necessario famulatur ei, a quo, ut esset, accepit originem; suscepit ergo ignis ille sanctorum corpora et, praecepto ac voluntate Dei, naturae qua urit oblitus, sola in eis ea parte, qua inluminat operata est, ita ut sanctum ac fidele depositum, non corruptum redderet sed inlustratum. Processerunt enim de fornace ignis tamquam de aula regali mirandi omnibus et omnibus venerandi. Nullas tunc convertit oculos suos ad regem, purpura et diademate refulgentem, sed relictus est a cunctis tamquam si non esset, quia omnium in se mirabiles pueri rapuere conspectus. Quis enim non stuperet ad corpora juvenum pavitasse flammam et non solum viscera refugisse sanctorum, verum nec capitis quidem comam, quod est [12r] omnium fragilius, aut summam saltem vestimenti fimbriam perstrinxisse? Quis non miraretur in eis membra montibus, vestimenta metallis, capillos adamante fortiores esse? Sed et in eo admirationis cumulus crescit, quod in medio flammarum positi, hymnum Deo canebant, cum utique notum sit, eos qui flammis traduntur, statim ut os aperuerint, absumi? Et illi quidem beati pueri manent apud Deum gloriosi et apud homines mirabiles. Rex vero impius, nec mirabilibus movetur, nec visionis et confessionis suae sacramenta miratur, sed permanet incredulus. Nec tamen punitur, necque enim vincitur in eo patientia Dei, sed tempore plurimo sustentatum vix

¹⁾ recensior. man. add.

²⁾ Cod. legit: validior.

aliquando corripuit, non praeterita puniens, sed emendatione prospiciens in futuris. Denique non in perpetuum damnatur, sed parvo tempore correptus et annis paucissimis emendatus, ad priorem rursus regni reducitur statum, ita ut damni nihil pateretur ex poena, lucri autem plurimum ex emendatione [12v] conquereret.

☞ Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei, numquam spernit paenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur, etiam si ad summum quis pervenerit malorum et inde tamen velit reverti ad virtutis viam. Suscipit et libenter amplectitur [et¹⁾] facit omnia quatenus eum ad priorem revocet statum. Quod quae est adhuc praestantius et eminentius etiam si non potuerit quis explicare omnem satisfaciendi ordinem, quantum cumque tamen et quamlibet brevi tempore gesta non respuit paenitentiam? Suscipit etiam ipsam, nec patitur, quamvis exiguae conversionis perire mercedem. Hoc enim mihi indicare videtur Esaias, ubi de populo Judaeorum talia quaedam dicit: *Propter peccatum modice contristavi eum et percussi eum et averti faciem meam ab eo et contristatus est et ambulavit tristis et sanavi eum et consolatus sum eum.*²⁾ — Evidentius autem nobis testimonium dat etiam [13r] rex ille impius, qui cupiditatis quidem suae praedam uxoris nequitia quaesivit; sed perturbatus ipsius sceleris immanitate paenituit et cilicio circumdatus facinus suum flevit atque ita erga se Dei misericordiam provocavit, ut et cunctis eum absolveret malis. Sic enim ait: *Et dixit Dominus ad Heliam: Vidisti quomodo conpunctus est. Ahab a facie mea, et quia flevit in conspectu meo, non inducam in diebus ejus mala,*³⁾ sed post hunc iterum Manasses, qui omnes tyrannos, immanitate scelerum superaverat, qui cultum divinae religionis et observantiam legis everterat, qui templum Dei idolis repleverat, caelesti cultu vacuatum. Hic ergo impietate scelestum supergrediens omnem memoriam, tamen quia paenituit inter amicos Dei postmodum numeratus est. Quod si vel hic vel illi, quos supra memoravimus, considerantes immanitatem scelerum suorum, conversionis et paenitentiae redditum desperassent, omnibus utique bonis, quae eos ex emendatione prosecutae sunt, [13v] decidissent, quinimmo respicientes ad ineffabilis miserationis Dei et immensae bonitatis ejus profundum, diabolica quidem a cervicibus suis disperationis vincula solverunt. Suscitantes vero semetipsos conversi sunt ad virtutis viam et revocantes a praecipitio pedem, cursum rursus consummaverunt bonum. Haec quidem de exemplis sint nobis dicta sanctorum. Audi nunc, quomodo etiam sermonibus per prophetas ad conversionem invitetur a Domino: *Hodie si, inquit,*

¹⁾ *rec. man. add.*

²⁾ *Is. 57, 17. 18.*

³⁾ *2. Par. 33, 13.*

*vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra sicut in [exacer-
atione.]*¹⁾

Quod autem dicit hodie omne tempus, quo vivimus, indicat etiam usque ad ultimam, si ita res accedat, senectutem: non enim temporis longitudo, sed adfectus sinceritate paenitudo pensatur.²⁾ Aut non legimus Levitas, peccatum illud gravissimum in deserto non temporis longitudine, sed unius diei exigua hora diluisse? Sed et latro ille, qui pendeat in cruce non eguit prolixitate temporis, ut ingressum paradisi mereretur, sed [14r] tantum ei spatii sufficit, quantum expedire³⁾ potuit, donec unum posset proferre sermonem, ita ut intra momentum temporis totius vitae sceleribus absolutus praecedere ad paradisum etiam apostolus memoretur.⁴⁾ Quid autem et martyres, nonne frequenter vidimus una die, interdum vero ei[s] sub unius horae spatio coronas sumere ingentium praemiorum?

Et ideo audiendum est tantummodo, et promptis atque incitatis animis adgrediendum, et quadam velut indignatione permoti irascamur adversum deceptricem nostram libidinem, et affectum atque amorem nostrum convertamus ad virtutem: hoc enim est quod vult et poscit a nobis Deus. Non quaerit⁵⁾ temporum longitudinem, nec afflictionem crucis,⁶⁾ ad hoc praecipue respicit, si vera sit et sincera conversio. Ideo denique vidimus aliquotiens, nonnullos coepisse postremos et factos esse merito priores; non ergo cecidisse ita malum est, sed post lapsum jacere et nolle consurgere et cum quadam voluptate jam [14v] ac resolutione peccare, desperationibusque sermonibus mali propositi vitium tegere. Contra hos enim etiam propheta cum quadam indignatione proclamat dicens: *Numquid qui cadet non resurget, aut qui aversus est non convertetur.*⁷⁾ Quod si dicas, quaeritur si aliqui[s] ex [fidelibus⁸⁾] cecidit et potuit reparari? Audi ad haec hoc ipsum quod dicimus cecidit, stetisse eum antequam caderet profiteatur. Nemo enim cecidisse dicit eum, qui semper jacuit et numquam stetit. Proferamus tamen etiam *ex*⁹⁾ scripturis divinis, si qua super hoc vel in parabolis vel per apertas sententias dicta sunt; Si qua etiam in majorum

¹⁾ Ps. 94, 4.

²⁾ *In marg. legitur a 2. man.:* Non temporis longitudinem, sed spiritus sinceritatis poenitudo pensatur. Cf. Nouveau Traité de Diplomatie III, 413: „C'est ici un sommaire du livre de S. Jean Chrystome, intitulé *De raparatione lapsi*“.

³⁾ *Cod.:* expedi.

⁴⁾ *In marg. 2. man.:* De latrone, ubi paradisi meritur ingressum. Cf. Nouveau Traité de Diplomatie III, 439; „... (C'est) un mélange de lettres lombardiques et mérovingiennes“.

⁵⁾ *sup. lin. add. 2. man.:* Deus.

⁶⁾ *sup. lin. add. rec. man.:* Sed.

⁷⁾ Jer. 8, 4.

⁸⁾ *Cod.:* Fidelium.

⁹⁾ *add. sup. lin.*

contenetur exemplis, quid tibi videtur, aliud continere. Ovis illa quae, cum a nonaginta et novem ovibus aberrasset, requaesita est postea ac pastoris [h]umeris reportata, nonne aperte lapsum et reparationem fidelis ostendit? Ovis enim est et ipsa sicut et illae nonaginta et novem et non alterius, sed unius ejus [15r] demque gregis et unius ejusdemque pastoris: eisdem namque pascuis prius, quibus et illae ceterae, eisdemque poculis,¹⁾ eisdemque cubilibus utebatur. Sed erravit errore non minimo; per montes enim et per colles evagata est longis et difficilibus circumacta erroris an fractibus; nec tamen relinquit eam pastor bonus consumi in erroribus suis, sed requirit et revocat; revocat autem non violenter perurgens, nec verberibus cogens, sed propriis [h]umeris subvectans. Sicut enim optimi quique medicorum eos, quos viderint tabo longae aegritudinis adflictos, in nonnullis rigorem temperant medicinae et delicatius ac tenerius agunt cum eis, ita et Deus eos, quos videt vehementius peccatis esse corruptus, non districta satis et ardua observantiae intentione revocat ad viam virtutis, sed sensim et paulatim, ita ut, inquam, plurimis sustinet, in plurimis sublevet, ne dura eis et ardua videatur repentina conversio et non tam peccandi amore tracti residere videantur in erroribus [15v], quam conversionis asperitate deterriti. Sed non haec sola parabola moderationem nobis conversionis ostendit; verum et illa quae deluxuriosi filii reditu scribitur. Et ille enim filius erat: non erat extraneus. Germanus erat ejus, qui numquam a patre discesserat: filius ergo est, qui ad ultimos malorum fines dicitur pervenisse. Abierat enim in regionem longinquam et longe satis a Deo effectus est, qui fuerat dives, et nobilis, deterior servo et mercenario factus est, sed tamen regressus est et poenitens in antiquum recipitur statum et in priorem gloriam reparatur: Quod si desperasset et erubisset et pro his, quae acciderant ei, reverti ad patrem, sed permansisset in regionem longinquam et alienam, non utique adeptus esset ea quae adeptus est. Sed fame perditus infelicissimam mortem subisset. Vides ergo quanta sit utilitas paenitentiae, quanta conversionis spes per paenitentiam. Filius prodigus recepit prioris gloriae statum, quem senior [16r] frater habebat per patientiam et, si audere in talibus fas est, videtur mihi quod ex conversione hic etiam plus aliquid meruerit; vide enim quomodo senior frater dicit: *Ecce tot annis servio tibi et numquam mihi dedisti haedum, ut cum amicis meis epularer. Cum autem venit filius tuus hic, qui comedit substantiam suam cum meretricibus, jugulasti ei vitulum saginatum.*²⁾

Quomodo ergo non amplius consecutus videtur, qui per paenitentiam redit? Cum ille haedum numquam acceperit, huic vitulus occisus est saginatus. Haec igitur, Carissime, habentes exempla

¹⁾ Cod.: populis.

²⁾ Luc. 15, 29, 30.

paenitentiae; non perseveremus in malis, nec desperemus reconciliationem, sed dicamus etiam nos redeamus ad patrem et ad proximum Deo. Numquam, mihi crede, adversabitur conversum ad se. Nos summus, qui nosmetipsos longe effecimus a Deo; ipse enim dicit: *Deus adproprians ego sum et non Deus de longe.*¹⁾ Et iterum per eundem prophetam: *Peccata, inquit, separant inter me et vos;*²⁾ si ergo peccata sunt [16v] quae nos separant a Deo. Auferamus e medio istud obstaculum et nihil est quod nos prohibeat conjungi Deo. Vis tibi, ostendam non solum in parabolis dicta, sed et rebus impleta. Apud Corinthios erat quidam vir, ut videtur non ignobilis: hic commiserat tale peccatum, quale nec inter gentes admitti solet. Et erat hic ex numero fidelium et familiarium Christi. Quidam enim eum etiam ex sacerdotali ordine fuisse tradunt. Quid ergo? Numquid excidit eum Paulus de numero eorum, qui spem gerunt salutis, quinimmo posteaquam sufficienter Corinthios arguit, pro eo volens rursus ostendere, quia nullum vulnus est, nulla aegritudo, quae non cedat et sanetur medicamento paenitentiae, jubet eum tradi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in diem Domini nostri Jesu Christi.³⁾ Sed haec jubet antequam de paenitentia ejus agnosceret; ubi vero paenituit *sufficit, inquit, ei increpatio haec, quae fit a pluribus.*⁴⁾ [17r] Et addit: *Obsecro vos, confirmate in illo caritatem, ne possideamur, inquit, a Satanam: Non enim ignoramus versutias ejus.*⁵⁾ Galatarum autem gens integra, posteaquam credidit Christo et accepit Spiritum sanctum ita ut in Spiritu etiam signa et virtutes faceret, posteaquam propter fidem Christi multa sustinuit, post haec, inquam, omnia, decidit a fide et rursus cohortationibus apostoli reparata est. Ut autem scias quia per Spiritum sanctum signa et virtutes fecerint, audi quomodo ipse apostolus dicit: *Qui ergo tribuit vobis Spiritum et operatur virtutes in vobis*⁶⁾ ex operibus legis, an ex auditu fidei? Et rursus, quia multa post fidem passi sunt designat ubi dicit: *Tanta passi estis sine causa;*⁷⁾ post hos ergo tantos in fide talesque profectus commiserunt peccatum, quod posset eos alienos facere a Christo, de quo ipse Apostolus dicebat: *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*⁸⁾ Et iterum: *Qui si lege justificamini, a gratia excidistis.* [17v] Et tamen post istos fidei casus, post tam gravem lapsum revocat eos et maternis, ut ita dicam, visceribus fovet dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur christus*

1) Jer. 23, 23.

2) Is. 59, 2.

3) 1 Cor. 5, 5.

4) 2 Cor. 2, 6.

5) 2 Cor. 2, 6.

6) Gal. 3, 5.

7) Gal. 3, 4.

8) Gal. 5, 2. 4.

*in vobis.*¹⁾ Quid ergo aliud per haec omnia docetur, nisi quia possibile sit, ut, etiamsi in ultimam quis peccatorum perniciem conruat, rursus in eo Christum per paenitentiam reformari? Non enim vult mortem peccatoris, sed ut conversatatur et vivat.²⁾

Convertamur ergo, o amicissimum mihi caput, et reddamus nos ad voluntatem Dei implendam! Propterea enim creavit nos Deus et esse fecit, qui non eramus, ut aeterna in nos conferat bona et praestet, regna coelorum. Non nos ad hoc fecit, ut gehennae nos tradat ignique perpetuo. Regnum coelorum propter nos, gehenna autem propter diabolum facta est; et hoc ita esse ex evangeliiis doceam. Ipse enim Dominus dicit: his qui a dextris sunt: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod praeparatum est vobis* [18r] *a constitutione mundi.*³⁾ Illis autem, qui a sinistris sunt dicit: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est*, non dixit vobis, sed *diabolo et angelis ejus*. Si ergo propter diabolum gehenna ignis parata est, propter homines autem regnum coelorum a constitutione saeculi praeparatum est. Tantum est, ne nosmetipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus; donec enim sumus in hac vita, quantacumque nobis acciderint peccata, possibile est omnia ablui per paenitentiam; cum autem abducti fuerimus ab hoc saeculo, ibi jam etiam, si paenitebit nos, valde enim paenitebit, sed nulla erit utilitas paenitentiae. Et licet sit stridor dentium, licet ululatus et fletus, licet fundamus preces et innumeris obsecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo subveniet, sed nec extremo quidem digito aquam quis infundet linguae nostrae, positae in flammis; sed audiemus illud quod dives ille audivit ab Abraham, quia *chaos*⁴⁾ *magnum confirmatum est* [18v] *inter nos et vos et neque hinc illuc transire potest neque inde huc.*⁵⁾ Resipiscamus ergo tandem, quaeso te, frater, et Dominum nostrum tamquam boni servi et utiles requiramus, nec desperemus, dum in hac luce vivimus, veniam nos posse per paenitentiam promereri. In inferno autem tantum, ut diximus, paenitentiae medicamenta non proderunt; in hac vero luce positus etiamsi in extrema aetate adhibeas, etiamsi ultimam in senectutem, mihi crede, curaberis. Ideo denique diabolum omnia *movit*⁶⁾ et agit, ut animum nobis desperationis inducat; scit enim quasi vel parvo tempore quis paenitudinem gerat, quamvis sit brevis, non erit tamen infructuosa conversio, sed sicut is, qui calicem aquae frigidae porrexerit, nequaquam fructum mercedis mittit, ita et is qui pro

1) Gal. 4, 19.

2) Ech. 33, 11.

3) Matth. 25, 34.

4) Cod.: chaus.

5) Luc. 16, 26.

6) Cod.: novit.

male gestis praeteritis paenitudinem gerit, licet minus digna videatur ad peccatorum pondus paenitentiae, tamen quantuluscumque ille *modus*¹⁾ paenitendi fuerit, vel conversionis [19r] momentum expers non erit remunerationis bonorum, nihil enim, mihi crede, boni operis quamvis sit exiguum despicietur apud justum iudicem Deum. Si enim peccata cum tanta examinatione discutienda sunt, ut etiam verborum et cogitationum unusquisque perferat paenas, quanto magis bene gesta et magna in iudicio repensabuntur et parva: itaque etiam, si non putas esse possibilem, ad illum rursus summae vitae ordinem, te posse reparari aliquid certe de nimietate luxuriae et libidinis enormitate reseces. Nec hoc tibi quidem infructuosum senties fore, incipe tantum et initium aliquod arripe meliorum conversionisque viam, summis saltim contingere vestigiis, donec ergo incipias difficile tibi et inaccessible videtur virtutis iter. Sic namque est natura rerum, ut omnibus labor tamdiu gravis putetur, donec sola animi consideratione pensetur, ubi vero ad rem ventum fuerit et operis ipsius coeperimus aliquantulum profligare, [19v] ibi jam pavor omnis ac formido depellitur; successus vero operis dulcedinem parit et laetitiam menti conferunt reparata denuo incrementa virtutum, redditque nos continuo fortiores, cum proximam jam videre caeperit spem salutis. Propterea denique et Judam inimicus hinc rapuit, ne forte, quia sciebat quod esset reditus ad salutem, lapsum per²⁾ paenitentiam reformaret. Ego enim etiam, si mirum videtur esse, quod dico, ne illud quidem Judae peccatum dixerim vires excedere potuisse paenitentiae: propter quod depraecor et exoro, ut omnem diabolicam cogitationem repellas et effuges a mentibus tuis et velocius te convertas ad viam salutis. Etenim si subito te et ex integro ad illum priorem virtutum verticem cogerem, merito trepidares, merito difficile factu putaris. Cum vero hoc a te nunc expetam tantum, ne augeas eas in malis, neque per dies singulos perditionis incrementa conquiras, sed ut desinas tantum et peccando jam cesses. Cur dubitas et cunctaris et retrorsum [20r] revocas pedem ac solam salutem cogitationem bonorum recipere formidas? Quid enim ne ipsius quidem tibi libidinis satietas ullum adhuc fastidium reddit? Quid profuit illis, qui in luxuria corporis et praesentis vitae voluptatibus usque ad diem ultimum permanserunt? Intuere nunc sepulch[r]a eorum te vide si est aliquid in eis jactantiae suae vestigium? si aliqua divitiarum vel luxuriae signa cognoveris? Require ubi nunc vestes et odoramenta peregrina? Ubi spectaculorum voluptas? Ubi asseclarum³⁾ turmae et convivorum cessit opulentia, risus et jocus et immoderata atque effrenata laetitia? quo abiit, quo abscessit? Ubi

¹⁾ *Cod.*: notus.

²⁾ *Cod.*: super.

³⁾ *Cod.*: adsaecularum.

illa nunc et ubi ipsi? Quis finis utrorumque? Intuere diligentius et accede propius ad singulorum sepulchra et vide cineres solos et foetidas vermium reliquias et recordare hunc esse corporum finem, etiam si in deliciis et laetitia, etiam si in labore et continentia transigerent vitam: atque¹⁾ utinam res omnis, omnisque [20v] causa nostra usque ad eineres veniret et vermes, parva viderentur haec damna et quae facile excusare posset naturae condicio. Nunc autem converte oculos tuos ab istis cineribus et sepulchris et dirige cogitationem tuam ad illud divini iudicii tribunal horrendum, quod ardens fluvius flammeus ambit fluentis, ubi fletus et stridor dentium, ubi tenebrae exteriores, ubi ille vermis conscientiae, qui numquam moritur et ignis, qui numquam extinguitur.

Recordare parabolam Eleazari et divitis illius, qui opum tantarum dominus, qui purpura indutus et bysso, unam nunc aquae gussam invenire non potuit et hoc, cum esset in ardoris necessitate constitutus. Dic, quaeso te, quid plus habet vita ista, quam somnium? Sicut enim hii, qui in metallis condemnati vel in aliquolibet poena positi, cum forte post multum laborem durae vitae paululum relaxati fuerint insomnum et videntes se inter plurimas dapes positos epulis [21r] copiosissimis perfrui, ubi autem surrexerint nihil sibi gratiae ex delectatione somnii inveniunt resedissee: ita et dives ille quasi somnium habuit hujus vitae divitias, ubi discessit nihil cum illo, nisi praeteritorum paenitudo et praesentium poena permansit. Haec recordare, mi, uni animae et illum gehennae ignem his, quae te nunc exagitant flammis libidinis et cupiditatis, oppone. Est enim hoc mirabile quoddam medicamenti genus, ut ignis ignibus restinguatur. Si enim restincti non fuerint isti, qui te nunc exagitant illos tibi aeternos ignes acriores et *inextinguibiles* reddent. Quanto putas tempore permanere tibi posse praesentis vitae delicias, ut ego quidem reor, nec quinquaginta jam tibi annis super esse usque ad extremam possunt? Quamvis in longissima senectute, sed et in hoc ipso tempore vide quanta intervenire possunt? Primo quod nemo etiam, si usque ad vesperam perveniat certus est, deinde quod mobilis semper humanarum rerum status est. [21v] frequenter enim vita quidem in longum tempus producit, nec tamen facultates ac divitiae ei fideliter permanent, sed saepe accidit ut prius quis opibus quam vita deficiat. Verumtamen concedamus et vivere te posse annos multos et nullam permutationem temporum pati et quantum quaeso istud spatii est ad aeterna supplicia? Quantum hoc voluptatis est ad illas execrabiles et intolerabiles poenas? Nam in hac quidem vita, sive bona sive mala terminum suum norunt eumque velociter sortiuntur, in futuro autem saeculo utraque immortalibus spatiis protenduntur. Adde

¹⁾ Cod.: Et atque.

et illud quod etiam poenae ipsius longe alia et diversa condicio est. Ignis enim hic qui in praesenti vitae est absumit cuncta quae recipit; ille vero quos susceperit semper cruciat et poenae suae semper integros servat. Propterea enim et inexstinguibilis dicitur et non solum quia ipse non exstinguitur, sed et quia nec eos quos susceperit exstinguit et peremit. Scriptura enim dicit: *quia et peccatores* [22r] *induant incorruptionem* scilicet non ad honorem vitae sed ad diuturnitatem supplicii profuturam; hujus autem poenae vim et ignis illius potentiam nulla vox exponere: Nullusque sermo poterit explanare. Nihil est enim in rebus corruptelibus quod conferri possit incorruptilibus, sive bonis sive malis. Verumtamen ut aliquam imaginem saltem ignis illius et poenae capiamus, recordare si quando quis febrium nimio ardore succenditur. Quae angustiae qui cruciatus corpori atque animae insidant. Et ex hac temporali poenam et irae: quanta sint illa supplicia, quae aeternus ignis inflamat, quae fluvius ignis percurrens ante illud tribunal honorificum undis poenalibus inrogabit? Ibi quid agemus, quid respondebimus? Nihil erit nisi stridor dentium, nisi ululatus et fletus et sera paenitudo; cessantibus undique auxiliis et undique invalescentibus poenis, sed nec solacium quidem nusquam ullum; nullus enim occurret oculis nostris [22v] nisi soli poenarum ministri et facies, ubique dira tortorum et, quod est omnium tetrius, nec aeris quidem ipsius erit ullum solamen aut lucis. Circumdabunt enim poenarum loca, tenebrae exteriores et ignis ille, sicut naturam non habet consumendi, ita nec inluminandi, sed est ignis obscurus et flamma tenebrosa. In his autem positus, qui tremor, immo quae resolutio viscerum sit devultioque membrorum, quaeve quantaque omnibus sensibus cruces, nullus tunc sermo poterit explicare. Sunt enim diversae et variae poenarum facies et pro peccatorum quantitate singulis quibusque multiplicantur poenae. Quod si dicas, et quomodo tot malis sufficiet corpus ad poenam, finem temporis nesciens: considera, quae in hac vita interdum accidunt et ex parvis magna coniecit. Quomodo interdum videmus nonnullos longissima aegritudine confici, nec tamen eis exosae vitae terminum dari: [23r] aut et si corpus morte aliquando dissolvitur, sed anima non consumitur. Unde constat quodsi immortalitatem etiam corpus acceperit, nec animam poena, nec corpus ultra jam perimat. Nam in praesenti quidem vita evenire non potest, ut poena corporis et vehemens esse possit et perpetua, sed alterum cedit alteri, quia corporis fragilitas utrumque non patitur. Ubi vero utrumque corruptela caruerit, poena quidem accepta potestate deserviet, sed nullam finem incorruptio quaesita suscipiet; non ergo putemus, quia suppliciorum nimietas ipsa dabit finem dolorum. Sed, ut diximus, peccata quidem poenas accedent, incorruptio vero animae et corporis, nullum supplicii terminum dabunt. Dic ergo nunc quanta

tempora luxuriae, quae deliciarum spatia comparabis talibus poenis? Centum, si placet, annos deliciis demus; adde et alios centum, si libet, adde et decies centum; quae erit ex his ad aeternitatem compensatio? [23v] Nonne omne tempus vitae hujus, quo¹⁾ deliciis frui videmur et indulgere libidini quasi noctis unius somnium ad aeternitatis comparationem videtur? Est ergo aliquis, qui ut una nocte delectabile videat somnium, aeternas vero subire eligat poenas et illa pro his recipere vel pro illa ista mutare. Nondum descendo ad vituperationem deliciarum, neque amaritudinem, quae in eis est nunc aperio, quia nec hujusce modi orationis²⁾ hoc tempus est. Sed tunc cum forte ab his effugere potueris, nunc enim cum in eis passibiliter tenearis, delirare nos credes, si dona libidinis, quae grata omnibus videntur et jucunda aspera adseramus et amara? Si vero per misericordiam Dei evadere ex hujusce modi aegritudine qui veris, tunc quid amaritudinis; immo vero quid veneni habuerit libido depraehendes. Nunc interim ponamus delicias, delicias esse et libidinem voluptatem, nec aliquid habere dedecoris aut opprobrii; quid dicimus ad repositas [24r] poenas? quid faciem ad hoc, quod deliciae quidem velut umbra pertranseunt et velociter fugiunt; poenae vero perpetuo manent, quodsi aequale tempus et idem spatium deliciis positum esset et poenae esset, aliquis ita stultus et ita demens, ut eligeret pro uno die deliciarum unum diem subire poenarum, cum soleat dolor unius horae et quilibet³⁾ corporis cruciatus in oblivionem mittere omne⁴⁾ praeteritum tempus in voluptate transactum. Nunc ergo cum possibile sit parvo tempore, si convertamur ad Deum, et fugere omnia illa cruciamenta poenarum, et perfrui bonis aeternis. Quid differimus? Quid moramur et divina largitione non utimur? Dei enim ineffabilis et immensa bonitas etiam haec providet, ut laborum quidem tempus et agonis non extenderet, nec longum faceret aut aeternum, sed breve, ut ita dicam, momentum. Quoddam horae unius; hoc enim est praesens haec vita, si ad illam conferatur aeterna, [24v] providit ergo bonitas Dei, ut in hac brevi et exigua vita agones essent et labores, in illa vero, quae aeterna est, coronae et praemia meritorum, ut labores quidem cito finirentur, meritorum autem praemia sine fine durarent. Sed hoc sicut laetificat eos, qui per laborum patientiam coronantur, ita adfligit illos et inligat⁵⁾ in futuro, qui vident se pro parvo et exiguo deliciarum tempore perdidisse quidem bona aeterna, mala vero quaesisse [et]⁶⁾ invenisse perpetua. Ne ergo

1) *Cod.*: quod.

2) *Cod. legit.*: horationis.

3) *Cod. legit.*: quibuslibet.

4) *Cod. legit.*: omne.

5) *Cod.*: inligat.

6) *rec. man. add.*

etiam nos istum¹⁾ veniamus animae cruciatum. Expergiscamur aliquando, cum tempus est, et ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nunc enim est paenitendi facultas et tempus, quo et fructus consequitur paenitentem. Verum non haec solum, quae diximus, manent in nos mala, quae in Gehenna perferemus, si neglegamus vitam nostram, sed est malum multo his gravius: Excludi enim a bonis et alienum effeci ab his, quae praeparata sunt sanctis, tantum generat cruciatum [25r], tantum dolorem, ut etiam si nulla extrinsecus poena torqueret, haec sola sufficeret. Omnes enim gehennae superat cruciatus, carere bonis, quibus in potestate habueris perfrui.

Considera enim, quaeso te, statum vitae illius in quantum tibi considerare possibile est, ut enim vere est conpraehendere nullus sermo sufficiet, sed quantum possumus ex his, quae legimus et per enigmata accepimus, tenuem quandam opinionem de ea capiamus; dicitur de ea quodam loco, quod *afugiet ibi dolor et tristitia et gemitus.*²⁾ Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non egritudinis, ubi nemo laedit injuste aut laeditur, nemo irascitur, nemo invidet, nulla cupiditas exardescit, nullum ibi desiderium, nulla honoris pulsat et potestatis ambitio, sed omnis vitiorum labe sopita et penitus extincta est. Pax cuncta continet et laetitia, tranquillia sunt omnia et quieta, jugis splendor et lux non ista, quae nunc est, sed tanto [25v] splendidior, tanto clarior quantum nunc est sol, lucerna; nulla ibi nox, nullae tenebrae, concursus nullus nubium, nulla frigoris, nulla ardoris asperitas, sed talis quaedam erit rerum temperies quam scient illi soli, qui ea digni fuerint perfrui, non est senectus ibi, nec senectutis miseria, sed omne, quidquid corruptionis est, exulat et gloria incorruptionis euncta circumdat. Verum super haec omnia est sociari consortiis angelorum et archangelorum, omniumque caelestium supernarumque virtutum contuberniis perfrui: ultra omnem vero hanc et hujusmodi gratiam est et ipsius Domini Christi ineffabilis adipisci conspectus et majestatis ejus inenarrabili splendore radiari. Verum nec haec tibi subito ingesta optutum³⁾ mentis exterreant, paulatim te ad haec capienda provocabo. Intuere nunc caelum et inde extende paululum cogitationem tuam etiam super caelum: deinde considera totius [26r] creaturae transformationem. Non enim in ista, quae nunc est acqualitate persistit, sed in aliam transformabitur splendidicrem multo et pulchriorem, quantum, si dici potest, aurum plumbo splendidius est. Haec enim futura beatus edocet Paulus cum dicit: *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis.*⁴⁾ Nunc erim tam-

¹⁾ Cod.: instud.

²⁾ Is. 35, 10.

³⁾ Cod.: obtutum mentis.

⁴⁾ Rom. 8, 21.

quam corruptionis particeps multa patitur, quae pati necesse est corpora corruptibilia. Tunc autem ubi omne quod fragilitatis et corruptionis abjecerit ineffabili pulchritudine decorabitur. Neque enim ultra corruptibilia corpora patientur, sed incorruptibilia ea ex resurrectione recipiet. Unde et ipsa creatura in meliorem habitum transformabitur. Nulla erit tunc aliqua discordia, sed cuncta consonant, cuncta conveniunt: omnium enim sanctorum erit una concordia, nullus ibi diaboli metus, nullae insidiae demonum, terrorque gehennae procul, mors neque corporis [26v] neque animae, sed immortalitatis munere metus uterque solutus. Sicut enim puer regius, si primo pauperis tugurii alendus tradatur vilibus nutrimentis, sub metu etiam pedagogorum vivat et magistrorum, quo aetas prima disciplinae artioris frenis repressa, adultam demum aetatem probabilem reddat, et ¹⁾ paternis natalibus dignam; ubi venerit tempus, ut aulam regni et sceptrum paternae dignitatis adsumat, Abjectis omnibus illis vilibus indumentis, repente in habitum regium ac paternae potestatis infula transformatur: splendor purpurae protinus ac diadematis fulgor, ministrorum etiam succedit ambitio. Simulque honoris auctoritas invalescit et effecitur totus alter ex altero, ita ergo et tunc talis quadam specie ²⁾ sanctorum immutatio fiet et, ut scias, quia non in his, quae dicimus, sola pompa verborum est.

Conferamus oculos ad illum montem, in quo transforma [27r] tus est Christus et intueamur splendorem ejus illum, qui tunc in transformatione resplenduit: Et ne sic quidem inveniemus cunctam nobis futuri saeculi gloriam patefactam; illa enim transformatio facta est non in quantum bonorum futurorum veritas habet, sed quantum ferre oculi poterant intuentum. Sic enim evangelium dicit: *Quia resplenduit sicut sol.*³⁾ Incorruptorum autem gloria corporum non hoc tantum splendoris emittit, quantum ex ista corruptibili luce procedit: nec talem lucem, qualem nunc mortales oculi capere possint, sed tantus erit futurae lucis splendor, quantum corporeus ferre non possit aspectus. Cum tamen illum tulerit qui in montis transformatione resplenduit: unde ostenditur, quia tantum revelatum sit, quantum ferre oculi mortalium poterant: nec tamen tulerant ex integro, sed ceciderunt, inquit, in faciem super terram. Tum praeterea si quis te introduceret in conventum aliquem, ubi omnes auratis amictis reside [27v] rent stolis, quorum in medium aliquis adornatus refulgeret et purpura, isque polliceretur tibi quod posses in illo honoratorum numero adscribi, non ne cuncta ageris et omnia permoveres quatinus id adsequi posses? Adaperi ergo nunc sensibus tuis caelos et intueri ibi conventum non auri;

¹⁾ *Cod.*: ad.

²⁾ *Cod.*: species.

³⁾ *Matth.* 17, 2.

neque vestium, neque gemmarum, sed justitiae meritis congregatum splendidius sideribus micantem, clarius sole fulgentem; intueri ibi congregationem, non solum ex hominibus, sed an angelis atque archangelis, tronis etiam dominationibusque et principalibus ac potestatibus convocatum. De rege autem, qui horum medius residet dicere vox nulla sufficit:¹⁾ effugit enim omnem sermonem atque omnem sensum humanae mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa majestas. Quid ergo, dic mihi, horum omnium bonorum expertes nosmetipsos faciemus et alienos, uti nec parvum aliquid suscipiamus et exiguo tempore libidinis inlecebras refutemus? [28r] Si enim cotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare pro eo, ut Christum videre possemus in gloriam venientem et sanctorum ejus numero sociari, non erat dignum pati omne, quod triste est, Modo ut tanti boni, tantaeque gloriae participes haberemur? Audi quid dicit beatus Petrus: *Bonum est nos, inquit, hic esse.*²⁾ Quodsi ille tenuem quandam futurae gloriae imaginem videns omnia subito projecit ex animo dulcedine visionis, quam perspexit innixus, quid diceret, si aliquis ipsam rerum faciem, ut se habet veritas contemplaretur? Tunc scilicet, cum caelestis aula panditur et regem caeli jam non per speculum et enigmata, sed facie ad faciem revelaverit, non jam per fidem, sed per speciem contuendum. Nonnulli *imperatorum*³⁾ putant sibi satis esse et optabile videri, si gehenna tantummodo careant. Ego autem multo graviores, quam gehenna est, dico esse cruciatum removeri et abjici ab illa gloria, nec puto [28v] ita acerba esse gehennae supplicia, ut sunt illa, quibus torquetur is qui removetur a conspectibus Christ. Hoc, crede mihi, poenis omnibus gravius est; hoc est solum, quod superat et gehennam, si enim nunc videntes terrenum regem cum comitibus et ministris suis ingredientem aulam regiam miramur et magnos ducimus eos, quos inhaerere lateri ejus videmus, nosque miseros credimus, si nullum inter eos locum habere mereamur.

Et quidem scientes, quod incerta sunt haec et valde infida, quae in terris sunt: Nunc quidem pro bellis hostilibus, nunc etiam pro civilibus insidiis, interdum etiam prolivore et pro eo ipso praecipue, quod etiam ipsa per se fragilia sunt et caduca et nullius numeri; tamen quoquomodo sunt, cruciatum generant his, qui inde ceciderunt. Quomodo non multo magis cruciabimur, si apud regem omnium, qui non partem terrae, sed universum ejus circumlocum tenet, immo qui eam pugillo continet et caelum palmo⁴⁾ metitur, qui portat omnia verbo virtutis suae, apud quem gentes

¹⁾ *Cod.*: sufficiat.

²⁾ *Matth.* 17, 4.

³⁾ *Cod.*: inperatorum.

⁴⁾ *Cod.*: palma.

omnes, [29r] tamquam nihil et velut sputum, reputantur: apud hunc, inquam, ubi aeternos honores largiri coeperit, si nullum habeamus locum et in nullo apud eum ministrorum numero conloquemur. Nonne omnino his dicis forte, poena cruciabilis erit, sed sufficiet nobis evadere de gehenna et dignos non fieri tanti regis aspectu. Quid illa anima, cui hoc sufficit infelicis? quid miserius?

Hunc autem, quem dicimus regem, non putes quadrigis mularum aut curribus aureis vectum, vel ornatum purpura, aut terribilem potestate diadematis adfuturum, cum ad iudicandam venerit terram: sed audi quomodo prophetis nuntiantibus, ut nuntiari hominibus fas fuit, praedicetur ejus adventus ait ergo quidam ex eis: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit, ignis ante ipsum ardebit et in circuitu ejus tempestas valida. Et vocavit¹⁾ coelum sursum et terram discernere populum suum.*²⁾ Alius vero, qui et poenarum species nobis indicat, Esaias hic est, audi quomodo dicit: *Ecce dies Domini veniet [29v] insanabilis, dies furoris et irae, ut ponat orbem terrae desertum et peccatores perdat ex eo. Stellae enim coeli lumen suum non dabunt et obscurabitur sol in ortu suo et luna non dabit lumen suum et mandabo universo orbi mala et impiis peccata eorum et perdam contumeliam iniquorum et injuriam superbiorum humiliabo: Et erunt qui relictii fuerint praetiosi magis quam aurum ignitum et homo praetiosior erit, quam lapis ex Ofir. Coelum enim quatietur et terra movebitur a fundamentis suis propter furorem irae Domini Sabaoth, in qua supervenerit furor ejus.*³⁾ Et iterum dicit: *Fenestrae coeli aperientur et movebuntur fundamenta terrae, perturbatione perturbabitur terra, stupore stupebitur⁴⁾ terra, inclinatione inclinabitur terra et inclinata est, commotione commovebitur terra sicut ebrius et crapulatus. Excutietur sicut pomarum custodia terra, cadet et non poterit resurgere; invaluit enim super eam iniquitas et inducet Deus super ornatum coeli in excelso manum suam [30r] in die illa, super regna terrae et congregationem ejus: ponet in vinculis et concludet eam in locum munitum.*⁵⁾ Sed et Malachias propheta consona his loquitur dicens: *Ecce veniet Dominus omnipotens et quis sustenebit diem adventus ejus? Aut quis supportabit conspectum ejus? Quoniam ipse ingredietur ut ignis conflatorii et sicut pala ventilantium et sedebit conflans et purgans sicut aurum et argentum.*⁶⁾ Et iterum dicit: *Ecce dies Domini venit ardens sicut clibanus et exuret eos et erunt omnes alienigenae et omnes qui faciunt iniquitatem ut stipulam et incendet eos dies illa, quae veniet, dicit Dominus omni-*

¹⁾ *man. rec. cor.:* Advocabit.

²⁾ Ps. 49, 3. 4.

³⁾ Is. 15, 9. 13.

⁴⁾ *man. rec. cor.:* stupebit.

⁵⁾ Is. 24, 29.

⁶⁾ Malach. 3, 2. 3.

potens: et non reliquetur radix neque palmes.¹⁾ Alius vero ille vir desideriorum ita dicit: *Et ecce videbam et troni positi sunt et vetustus dierum sedebat et indumentum ejus sicut nix candidum et capillus capitis ejus sicut lana munda. Thronus autem ejus flamma ignis: rotae ejus ignis exurens, fluvius ignis currebat ante ipsum judicium constituit [30v] et libri aperti sunt.*²⁾ Et paulo post: *Et vidi, inquit, in visu noctis et ecce cum nubibus coeli, sicut filius hominis veniebat et usque ad vetustum dierum pervenit et in conspectu ejus oblatus est et ipsi datus est principatus et honor et regnum et omnes populi, tribus, linguae ipsi servient et potestas ejus potestas aeterna, quae non transivit.*³⁾ *Et regnum ejus non conrumpitur. In [h]orruit spiritus meus: Ego Danihel in habitudine mea et visiones capitis mei conturbabant me.*⁴⁾

Cum ergo haec agi coeperint, pandentur sine dubio coeli portae: immo potius ipsum coelum auferetur e medio, tamquam si tabernaculi alicujus velamina colligantur, scilicet ut repararetur et reformetur in melius. Tunc ergo omnia metus habebit, timorque et tremor implebit⁵⁾ universa. Tunc enim ipsos angelos formido quassabit: Et non solum angelos, sed fortassis et arc[h]angelos et thronos et dominationes et principatus et potestates. Hoc enim indicatur in eo quod dicit: *Et virtutes coeli move [31r] buntur.*⁶⁾ Conservi enim sunt eorum, qui judicandi sunt et vitae hujus posituri rationem. Si enim apud iudices saeculi cum civitas una judicanda est, pavent caeterae et contremiscunt etiam si nihil periculi metuant, quanto magis cum orbis terrae universus ad judicium veniet judicandus ab eo iudice, qui teste⁷⁾ non egeat, qui argumenta non quaeriat, qui oratorem causae non postulet, sed his omnibus procul amotis, ipse et gesta et verba et cogitationes hominum denudet atque in medium conlocet et cuncta velut in *tabulis*,⁸⁾ quibusdam depicta oculis eorum, qui commiserunt ea atque omnium qui adsistere videntur ostendat. Quomodo non commovebitur et in metu erit universa creatura, quod si tunc igneus fluvius ille non cucurrerit et neque angeli adsisterent terribiles et facies dira tortorum, sed hoc solum si evocarentur homines ad regem et alii quidem laude et honore digni haberentur: alii vero dehonore cum nota et confusione abjicerentur, si hoc solum poenae [31v] homines paterentur, nonne super omnem gehennae caderet cruciatum, quod aliis munera percipientibus a rege, rei vero ipsi repulsi cum dedore meruissent,

¹⁾ *Malach.* 4, 1.

²⁾ *Dan.* 7, 9, 10.

³⁾ *man. rec. cor.:* transibit.

⁴⁾ *Dan.* 7, 13, 15.

⁵⁾ *Cod.:* implevit.

⁶⁾ *Matth.* 24, 29.

⁷⁾ *Cod.:* testem.

⁸⁾ *Cod.:* diaboli.

in quo quantum poenae sint etiam nunc pleno sermone non potest edoceri, tunc tamen cum ad rem ventum fuerit manifestius sentiemus. Tu vero adde ad haec omnia, etiam suppliciorum dolores et non solum confusionem neque solius dedecoris notam, sed et illam pone ante oculos viam, qua trahuntur homines ad ignem et qua trahuntur ad poenas. Cogita saevos illos et horrendos poenarum ministros, qui peccatores praecipitant ad supplicia et hoc eo tempore, quo aliqui bene egerunt a clarissimis angelis et placidissimis archangelis supportati ante regis aeterni solum sublime coronis gloriae et immortalibus praemiis munerabuntur. Et haec quidem *propria*¹⁾ erunt diei illius et iudicii temporis, quae vero post haec subsequuntur, quis sermo poterit explicare, quae erit *voluptas*,²⁾ quae laetitia esse [32r] cum Christo, ubi anima ad propriam generositatem regressa, cum fiducia jam videre coeperit Dominum suum explicari non potest illius laetitiae magnitudo non solum pro his exultat, quibus perfruetur in praesenti: Sed multo magis pro eo gaudet, quod bonorum suorum nullum finem [novit]³⁾ futurum et quamvis illa gaudia atque illa laetitia neque sermo ullus explicare valeat, neque cogitatio ulla concipere tenuiter, tamen et velut umbram quandam futurae imaginis intuentes tibi quoque indicare⁴⁾ temptabimus.

Requiramus, si videtur ab his, qui in praesenti vita bonis saeculi et divitiis perfruuntur, qui in honoribus et potestatibus gloriantur, quanta laetitia extolluntur in his, quanta haec delectatione et voluptate mirantur, ita ut interdum nec in terris se esse arbitrentur et quidem cum constet etiam apud illos ipsos, nec vere haec esse bona, nec esse perpetua, sed somnio citius se volare, aut si accederit aliquando, ut parum aliquid [32v] permaneant et exiguum hoc tempus praesentis vitae non deserant, quanta his felicitas esse creditur, quanta laetitia? Igitur si haec caduca et corruptibilia tantum gaudii hominibus conferunt. Quid putandum est sentire laetitiae animas illas, quae ad coelestia et perpetua pervenerint bona, in quibus et quantitas et qualitas, tam diversa et tam eminens est ab his, quae in hac vita putantur bonis, ut neque adhuc ad conspectum illius, neque ad auditum venerint, neque ad cogitationem cordis ascenderint. Etenim nunc sicut parvulus in vulva matris, ita et nos in hoc mundo positi sumus, et quasi angustiis quibusdam atque obscuritate conclusi, futuri saeculi lucem libertatemque non possumus intueri. Cum autem tempus adfuerit, ut parturiant nos praesens hic mundus et omnes, quos concepit, in futuri saeculi proferat lucem. Si quos quidem peccatis intervenientibus aborsus immaturos in

¹⁾ *Cod.*: propia.

²⁾ *Cod.*: voluntas.

³⁾ 2. *mān.* *add.*

⁴⁾ *Cod.*: iudicare.

venerit, de tenebris in tenebras eunt, de angustiis ad artiores angustias redeunt; [33r] Quos vero perfectus et regis imaginis similes genuerit, offerunt patri sobolem generosam in officiiis angelicis et sedibus archangelicis conlocandam. Noli ergo, quaeso te, mi amice, pertendere in illam partem, ubi vultus animae tuae et imago regia corrumpatur et velut avorsum quendam in finem te mundus iste projiciat, sed citius repara in te imaginem paternam, repara virtutum decus et speciem, ut inter filios agnoscaris a patre. Etenim pulchritudinem corporis Deus certis quibusdam et naturalibus terminis clausit, animae autem pulchritudinem liberam fecit et nulla sub necessitate conclusam, utpote multo praestantiores decore corporeo: haec ergo animae species in libertate est, sub Dei quidem nutu in nostris tamen manibus posita: Nam si etiam corporei decoris potestatem Dominus nostro permisisset arbitrio, sollicitudo nobis inmineret superflua atque in his, quae nihil prodessent, omne¹⁾ vitae tempus occuparemus, ex quo cultus animae necessario neglegeretur [33v]. Quippe qui etiam ubi nulla nobis potestas est referendi aliquid corporis decori: hoc tamen agimus et hoc studemus ut speciem corporis omnimodis excolamus, dum colorum fucis, vel compositione crininum, vel oculorum rotatu, vel varietate vestium, diversisque aliis et exquisitis molitionibus conferre aliquid, ut dixi, decori corporis cupimus: Sed quanto magis conveniebat nos ad cultum animae dare operam, ubi et pulchritudo vera est, et in potestate nostra est, cotidie eam, si volumus, efficere pulchriorem?

Verum nos econtrario omne tempus vitae nostrae consumimus expoliantes dominam et adornantes ancillam diversis ornamentis. Dominam vero ejus tamquam vile mancipium, incultam, fedam, sordibus obsitam in omni inlucie ac dedecore relinquentes, cum utique ob²⁾ hoc nos Deus excluserit a corporis cura et decoris ejus augmenta naturalibus terminis clausit, ne superfluis studiis occupati neglegeremus animae cultum, Cujus forma et species, etiam si in ultimam [34r] conruat foeditatem. Labore tamen et intentione nostra ad summam poterit pulchritudinem reparari et in tantum decoris adduci, ut non solum admirari a bonis omnibus, sed et ab ipso etiam rege omnium Deo concupisci possit et amari, sicut et propheta ad eam dicit in Psalmis: *Et concupiscit rex speciem tuam.*³⁾ Frequenter accidisse scimus, ut etiam ex his mulieribus, quae prostitutae sunt, si forte aliqua inventa est decora specie, contemplatione pulchritudinis ab aliquo, etiam bono viro, adsumpta sit ad honestatem matrimonii: quanto magis Deus non contemnit, neque despicit animas, quae de superna generositate per diabolicam tyrannidem in istud praesentis vitae lupanar ad prostibulum deciderunt.

¹⁾ Cod.: omnem.

²⁾ Cod.: ab.

³⁾ Ps. 44, 12.

Invenies autem his exemplis usos etiam prophetas, cum ad Hierusalem loquuntur et illa enim in prostibulum decidit et in meretricationem novi generis, sicut designat Ezechiel propheta dicens: *Omnibus meretricibus dantur mercedes ab amatoribus suis, tu autem dabis et facta est in te res perversa [34v] praeter omnes mulieres.*¹⁾ Et iterum alius dicit: *Sedisti super viam spectans eos sicut cornicula, desolata,*²⁾ istam³⁾ ergo, quae sic meretricata est, revocat rursus ad se Deus. Nam et captivitas, quae facta est, non tam pro poena, quam pro conversione facta est. Nam si eos Deus punire voluisset et perdere: non utique denuo revocasset ad patrium solum, neque rursus civitatem dilectam, majore gloria aedificari fecisset ac templum. *Erit enim, inquit, gloria domus hujus novissima super illam superiorem.*⁴⁾ Quod si illam, quae frequenter meretricata est, non excludit Deus a paenitentia, multo magis tuam recuperabit⁵⁾ animam, quae nunc primum conruit; nemo enim amatorum carnalium, etiam si sit haec supra modum insaniens, ita exardescere potest in amorem dilectae suae, sicut Deus effunditur in amorem animarum nostrarum, quod quidem possibile tibi est, et ex his cognoscere, quae per singulos dies geri videmus, potes etiam in scripturis divinis evidenter advertere: Intuere denique vel in principiis Hieremiae, [35r] quae referuntur de Deo, vel apud reliquos prophetas: quomodo cum despiceretur et contemneretur a populo, tamen rursus revertebatur ad eos et amore eorum constrictus, sectabatur eos etiam aversus ase. Et hoc est quod ipse Dominus in evangelii indicatum dicit: *Hierusalem, Hierusalem quae occides prophetas et lapidas missos ad te, quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis et noluisti.*⁶⁾ Sed et Paulus dicit ad Corinthios scribens: *Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non reputans eis delicta ipsorum et posuit in nobis verbum reconciliationis: Pro Christo ergo legatione fungimur, sicut Deo deprecante per nos rogamus pro Christo reconciliamini Deo.*⁷⁾ Haec etiam ad nos dici putemus, non solum enim infidelitas, sed et vitae contaminatio execrabilis, istas inimicitias facit inter Deum et hominem. Sic enim et Apostolus dicit: *Quia sapientia carnis inimica est Deo.*⁸⁾ [35v] Age ergo, destruamus hunc inimitiarum parietem et viam nobis reconciliationis faciamus ad Deum, ut iterum efficiamur amabiles, concupiscibiles. Scio, quia miraris valde Hermionis pulehritudinem, et decori ejus nihil inveniri posse in terris simile judicas.

1) Ez. 16, 33.

2) Jer. 3, 2.

3) Cod.: ista.

4) Agg. 2, 10.

5) Cod.: recuperavit.

6) Matth. 23, 37.

7) 2 Cor. 5, 19. 20.

8) Rom. 8, 7.

Sed si velis, o amice, multo tu ea formosior et multo pulchrior fieres: quantum potest esse aurum luto pulchrius. Si enim in illa corporis speciem tam multi mirantur et accenduntur pro ea, quantum putas esse in anima decoris, si ad omnem naturae suae fuerit exculpta pulchritudinem, quam amabilis omnibus et mirabilis erit? Etenim corporei decoris substantia, non in aliquam in flegmate et sanguine et (h)umore ac fille consistit, quae ex ciborum sucis corruptibilibus colliguntur: Ex his enim oculorum orbis splendent: Ex his genarum rubor depingitur, visus omnis ornatur et nisi per dies singulos rigentur hujusmodi sucis ex fonte jecoris, ascendentibus venis continuo aridior [36r] efficitur; Oculi autem cavantur, rubor omnis e vultu cum omni decore *discedit*,¹⁾ quod si diligenter consideres, quae sunt quae intra illam cutem, quae tibi *formosa*²⁾ videtur lateant, quae intra nares tegantur, quae intra fauces et ventrem, nihil aliud, nisi sepulchrum dealbatum, *pronuntiabi*³⁾ esse istam corporis pulchritudinem, quae foris quidem decor adparet hominibus, intus autem plenae sunt sordibus et immunditiis. Tunc deinde, si in vestimento videas flegmata vel sputamenta horrescis et extremis saltem digitis contingere ea refugis, sed et aspectum retorques et quomodo cellaria ipsa et horrea flegmatis⁴⁾ diligis et concupiscis? Sed tua pulchritudo non erat talis, quantum enim caelum terra pulchrius, tantum animae tuae pulchritudo omnem formam, quamvis pulcherrimi corporis superabat, et licet animam corpore nudatam nullus viderit, tamen alias tibi decus ejus ex virtutibus suis conabor ostendere. Nunc autem sufficiat nobis memorari sermonem Domini, quo ait: *Quia erunt* [36v] *sicut angeli Dei*,⁵⁾ quod si etiam in corporibus tanta est differentia eorum dumtaxat, quae subtiliora sunt ab his, quae graviora videntur et crassiora, verbi gratia, ut caelum terra praestantius, ut ignis aqua, ut stellae sunt lapidibus pulchriores, ut arcus caeli omnibus, qui in terris sunt floribus, quid diceremus si posset fieri, ut corporalibus oculis animae pulchritudinem videremus, nonne rideres: omnia haec quae ad exemplum decoris *adducemus*,⁶⁾ ex *terena*⁷⁾ substantia?

Quaeso ergo te, ne contemnamus tantam beatitudinem, neque neglegamus praetiosum hunc thesaurum, qui intra nos est; maxime cum facilis nobis reditus esse possit et parvo labore reparari omne animae decus: Ubi enim spem futurorum conceperis et amaveris, statim redit anima ad pulchritudinem suam. Ait enim ille: *Nam*

1) *Cod.*: descendit.

2) *Cod.*: formosa.

3) *man. rec. cor.*: pronuntiabis.

4) *Cod.*: fleumatis.

5) *Luc.* 20, 36.

6) *Cod.*: adducemus.

7) *Cod. legit.*: externa.

quod in praesenti vita est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum immensum et aeternum pondus gloriae operatur; nobis non aspicientibus, quae videntur, sed quae non videntur. [37r] *Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt.*¹⁾ Quod si tribulationes leves adpellat Paulus et faciles pro eo quod non ad haec, quae videntur, sed illa quae non videntur aspiciamus. Quanto magis leve tibi erit et facile desinere ab impudicitiae ponderibus fedis, neque enim nunc te ad illos labores invitamus et pericula, aut ad illas cotidianas mortes, quas Apostolus perferebat vel ad persecutiones illas et verbera aut vincula aut carceres aut totius mundi theatrum, aut famem aut nuditatem aut vigiliis multas aut pericula itinerum, naufragiam maris, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex falsis fratribus atque illa omnia, quae apostolici agones desudabant, nihil horum nunc a te poscimus, sed illud tantum rogamus, ut turpissimam hanc servitutem relinquant et ad priorem redeant libertatem. Considerans poenas, quae sub sequuntur luxuriam et gloriam, quae virtutibus est reposita. Nam hii quidem, qui resurrectionem futuram non credunt, [37v] si vitam suam neglegunt et nullum futuri iudicii concipiunt metum, nihil mirum est. Nos vero qui multo certius intuemur futura quam praesentia tam infeliciter agere et tam misere et nullam recordationem capere futuri iudicii: sed in ultimum decere²⁾ contemptum extremae dementiae est: Nec potest aliquid huic malo canferri, si credentes non credentibus similes simus. Quinimmo in illis non pauci reperti sunt, qui in hac vita animae virtutibus floruerunt: Et quae nobis erit excusatio? Quid solatii in die iudicii, si isti nobis producantur ad exemplum? tunc praeterea videmus non nullos negotiatorum incidisse naufragia et universam perdisse substantiam: nec tamen pro hoc dejectos esse et resedisse, sed rursus adgressos eandem viam atque eadem exercitia reparasse et illi quidem damna haec non desidia animi, sed ventorum violentia pertulerunt.

Nos enim, qui certi sumus de fine rerum et manifeste novimus, quia si nolumus, neque naufragia animae, neque damna poterimus incurrere. Quomodo non adripimus denuo priora exercitia et ne [38r] gotia, quae neglegenter omisimus reparemus? Sed jacemus resupini et desides et manus otiosas adplicabimus ad pectus: Et utinam otiosas et non operantes in perniciem nostri, quod est utique evidentis insaniae, veluti quis verbi causa *pyrarum*³⁾ derelicto adversario, in suum caput manus convertat et suum verticem coedat, repulit nos diabolus et elisit. Oportet utique resurgere et rursus stare contra eum. Nam si semel dejectus non solum nolis a terra resurgere, sed et teipsum praecipitio dare: hoc est juvisse adversa-

¹⁾ 2 *Cor.* 4, 17.

²⁾ 2. *man. cor.*: decidere.

³⁾ *Cod.*: pectarum.

rium et partibus ejus favisse: Nam et beatus David cecidit eodem casu, quo tu nunc, et non hoc solum, sed et adhuc his addidit gravius, homicidium enim conjunxit adulterio et quid post haec? Numquid permansit jacens? nonne resurrexit et iterum stetit contra inimicum, Et ita eum subegit, ut etiam post mortem merita ejus profuerint posteris suis. Nam si Salomon cum inmane illud admisisset scelus et dignus mille mortibus haberetur, propter David tamen concessurum sese Dominus regnum ejus [38v] integrum dicit. Ait enim: *Scindens scindam regnum de manibus tuis et dabo illud servo tuo: verumtamen in diebus tuis non faciem propter David patrem tuum, sed de manu filii tui accipiam illud.*¹⁾ Sed et Ezechias, cum in pericula extrema venisset, quamvis et ipse esset justus, tamen et pro beato David dicit se Dominus ei auxilium daturum, ait enim: *Protegam civitatem hanc et salvam faciam eam propterea et propter David puerum meum.*²⁾ Vides quanta est virtus paenitentiae, vides quantum meriti conversio reparavit? Quod si voluisset et ille haec cogitare, quae tu nunc animo geris et dicere quia impossibile est, jam mihi propitium fieri Deum. Honoravit enim me honore ingenti et propheticam mihi gloriam contulit, regni etiam magnificentiam dedit, de periculis quoque innumeris me eripuit et quomodo potero, cum post haec tanta ejus beneficia deciderim et offenderim atque in ultima flagitia devolutus sim, propitium rursus pro mereri Deum, Si haec cogitasset David, cum prioribus [39r] pariter et novissima perdidisset. Non enim sola corporis vulnera, si neglegantur, inferunt mortem, sed et animae similiter. Et nos tam stulti erimus, ut corpori quidem, si vulnus eveniat, adhibeamus continuo medicinam. In nullo vero animae vulneribus mederi videamur; et quidem in vulneribus corporum sunt multa, quae sanari omnino non possunt, et tamen non continuo desperamus, sed in quantum fieri potest, adhibemus diligentiam, etiam si audiamus a medicis, quia hujusmodi vulnus sanare medicamenta non possunt. Insistimus tamen et obsecramus, ut aliqua saltem solatia nobis medici, aliquid sustentationis exquirant. In animae vero vulneribus, ubi nihil est insanabile, neque enim anima necessitatem patitur naturae, qua si aliena sit nobis ejus passio: Sic neglegimus, sic desperamus, sic nihil ad animae sollicitudinem revocamus, et ubi languoris natura desperationem necessario generat; Nos tamen quasi spei aliquid conferat diligentia [39v] non omitimus curam. Hic ubi nulla est desperandi necessitas, quasi nulla sit sanitatis spes omissa penitus cura discedimus.

Vides quanto majore corporis quam animae amore constringimur, ignorant quia si animam neglegamus, nec corpus salvare poterimus? Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima

¹⁾ 3 Reg. 11, 11.

²⁾ 1 Reg. 19, 34.

factum est: Qui ergo quod primum est negligit et quod inferius est excolit, utrumque corrumpit: qui vero ordinem servat et quod primum est, colit, etiam si negligat, quod secundum est, per primi salutem salvabit¹⁾ et secundum, quod ita esse Dominus et Salvator noster dicit docens: *Nolite timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt occidere: Sed timeate magis eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam;*²⁾ putas, ne agimus aliquid putas ne satisfacimus tibi, quod nullus animae languor quasi insanabilis debeat desperari, aut adhuc necesse est, alias nos adhibere rationis et pluribus haec eadem confirmare? milies etenim sit temetipsum [40r] desperes. Nos te numquam desperavimus: Neque enim hoc ipsi agimus, in quo alios repraehendimus, quamvis non sit idem, cum ipse de se quis desperet et cum ab alio desperatur. Qui enim alium desperat, habet veniam: Qui vero semetipsum desperaverit nullam, quia ille non est dominus mentis alterius; is vero sui propositi potestatem tenet, nos ego non desperamus, quod sit [t]ibi reditus ad prioris vitae statum et ad illas, quas in te novimus animi virtutes, sed addemus ad te adhuc etiam haec. Ninevitae audiebant prophetam ex definito dicentem et comminantem: *Adhuc tres dies et Nive subvertitur.*³⁾ Sed nec sic quidem animis considerunt et hoc, cum nec satis confiderent, posse exrari Deum et contra responsa sua venire, quae videbant non sub aliqua veniae conditione suspensa, sed abrupta sententia terminata. Tamen ad paenitentiam confugiunt dicentes: *Qui(s) scit si paenitebit Deus et depraecabitur super malitiam, quam locutus est ut faceret eis?*⁴⁾ Quodsi homines barbari et inperiti tantum habere [40v] potuerunt intellectum divinae bonitatis, nonne multo magis nos oportet qui in divinis litteris eruditi sumus, et qui haec ipsa exempla praecessisse non ignoramus. Multaque alia ex divinis scripturis similia, vel in sententiis, vel in rebus gestis didicimus contineri. *Non enim, inquit Deus, consilia mea sicut consilia vestra sunt, neque viae meae sicut viae vestrae: Sed quantum distat caelum a terra, tantum distant cogitationes meae a cogitationibus vestris.*⁵⁾ Tunc praeterea, si nos famulos nostros, qui forte nos offenderint, cum promittunt se futuros esse meliores, recipimus et ad priorem revocamus locum, interdum vero etiam majorem eis post offensam ex reconciliatione fiduciam damus: nonne multo magis nobis hoc faciet Deus? Nam si propterea nos fecisset, ut puniret, bene desperares et dubitares de salute tua.

Si vero propter bonitatem suam tantummodo nos fecit, ut aeternis ejus bonis [41r] et muneribus frueremur atque omnia,

¹⁾ *Cod.*: salvabitur.

²⁾ *Matth.* 10, 28.

³⁾ *Joan.* 3, 4.

⁴⁾ *Jon.* 9, 10.

⁵⁾ *Is.* 55, 8. 9.

quae agit ab initio saeculi usque ad praesens tempus, propterea agit et propterea movit, ut nos misericordia sua salvet. Quae ultra nobis desperandi, quae anbigendi causa supererit? Sed vehementer ais: Offendimus eum, ut nullus umquam hominum, propterea ergo maxime velocius et vehementius satisfacere oportet; et paenitentiam gerere commissi et cito recedere ab his actibus, quibus offenditur Deus; neque enim rectas et ingenuas mentes ita offendit, quamvis gravissimi injuria delicti, ut contemptus¹⁾ satisfaciendi. Peccare namque humanum est:²⁾ permanere autem in peccatis diabolicum est: Denique, vide quomodo per prophetam hoc magis arguit Deus, quam illud: *Et dixi, inquit, posteaquam meretricata est per haec omnia convertere ad me et non est conversa.*³⁾ Et item alibi: *Et in his omnibus non est conversus inordinatus Judas.* Sed adhuc manus excelsa in aliis quoque, posteaquam arguit [41v] delicta populi per prophetam et emendationem suam promiserunt, ostendens quam amabiliter conversionem suscipiat peccatorum dicit: *Quis dabit ita esse cor eorum in eis ut timeant me et custodiant mandata mea omnibus diebus vitae suae, ut bene eis fiat et filiis eorum usque in saeculum.*⁴⁾ Sed et Moyses docere populum volens, quid Deus requirat ab hominibus ita dicit: *Et nunc Israhel quid Dominus Deus tuus poscit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et incedas in omnibus viis ejus et diligas eum ex toto corde tuo et ex tota anima tua.*⁵⁾ Deus ergo qui cupit diligere a nobis et omnia facit pro hoc nec Unigenito Filio suo pepercit pro salute nostra et caritate et qui optat, ut ita dicam, ut quocumque pacto et quandocumque reconciliemur ei: quomodo paenitentes nos et conversos ad se non et libenter suscipiet et amabit ut filios: Nam quo prospecto putas, illud dixerit per prophetam: *Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior ut justificeris.*⁶⁾ Nonne [42r] cupiens nos ad amorem suum revocare et ad initum caritatis affectum? Si quis enim diligat inimicum, si forte multas ab eo injurias pertulit et nec sic quidem aversus est amor ejus erga dilectum; si proferri in medium et exponi injurias velit, certum est, quia nullam aliam ob causam fieri id cupit, nisi ut redintegratio fiat amoris vehementior et validior multo quam dudum. Quodsi sola confessione peccatorum tantam reconciliationis materiam tenet, quanto major erit reconciliandi fiduciam: si ipsis operibus paenitentiae quae commississimus diluamus. Nam si hoc esset, ut eos qui semel lapsi sunt de via recta, redire ad priorem cursum voluntas divina prohiberet: Aut nullus aut valde pauci

¹⁾ Cod. : contentus.

²⁾ Cf. Nouveau Traité de Diplomatie III, 171: „Remarque que le mot *est* porté au-dessus de la ligne, comme dans les plus anciens mss.“

³⁾ Jer. 5, 7.

⁴⁾ Deut. 5, 29.

⁵⁾ Deut. 10, 12.

⁶⁾ Is. 43, 26.

intrarent in regnum coelorum: Immo vero eos quos praecipuus inter patres et in admiratione habemus: post lapsus peccatorum invenimus esse reparatos: qui enim vehementiores fuerunt in malis, conversi rursus ad bona eadem nihil nihilominus [42v] utentur vehementia conscii sibi, quod in multis debitis teneantur obnoxii, quod et Dominus in evangeliiis docuit cum Symoni de muliere quadam dicebat: *Vides, inquit, Symon mulierem hanc: introivi in domum tuam et aquam pedibus meis non dedisti: Haec autem lacrimis suis lavit pedes meos et capillis suis deterisit. Osculum mihi non dedisti: haec autem ex quo ingressus sum non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: Haec autem unguento unxit pedes meos: Propter quod dico tibi remittentur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Cui autem parum dimittetur, parum diligit. Et ait mulieri, remittuntur tibi peccata tua.*¹⁾

Propterea denique et diabolus sciens, quod hii, qui multa operati sunt mala, si se ad paenitentiam converterint districte satis et vehementer hoc faciunt et sicut fuerunt in peccatis praecipites, ita sint in remedio suo sagaces utpote scientes quid egerunt, metuis et tremis [43r] nequis forte horum initium aliquod paenitudinis capiat. Si enim coeperint jam nequeunt retineri, sed in modum ignis paenitentiae calore succensi, auro purgato puriores reddunt animas suas et memoria conscientiae suae, velut spiritu quodum flante ad portum salutis, spe guberante perveniunt. Itineris sui habentes cautellam maximam ex praeteritorum horrore gestorum atque in hoc pene etiam eos, qui nullos umquam incurrerunt lapsus videntur praecedere, dum cautiores eos reddit experimentum. Acris enim nescio quopacto expetimus ea, quae parata perdidimus quam quae nondum possessa desideramus acquirere, tantum est ergo, sicut dixi, ut initium fiat, in hoc omnis est difficultas, ut primos aditus ingrediamur paenitentiae: in ipso enim ingressu stat inimicus, minis ac terroribus inspirans et volentes adire cum omni atrocitate depellit, cujus fumos et inanem nebulam contemnamus, nec ille valebit aliquid ultra [43v] et tu occupato aditu validiorem te reditum senties, superioremque effectum inimici terroribus gratulaberis ac per facilem tibi dereliquo agonis istius viam videbis.

Age ergo jam adgrediamur iter vitae, revertamur ad civitatem caelestem, in qua et conscripti sumus et cives decreti; hujus nobis urbis²⁾ januas desperatio quidem claudit, aperiat autem spes et fiducia latum praebet ingressum. Haec si contemnimus non solum jam desidia culpam, sed et superbiae incurrimus. Nam et diabolus non aliunde talis factus est, nisi qui a primo quidem post peccatum desperatione usus est, postea vero ex desperatione in elationem

¹⁾ *Luc.* 7, 48—48.

²⁾ *Cod.*: orbis.

incidit et superbiam. Si ergo et anima, si semel salutem suam coeperit desperare, jam nec intelligit quomodo vel in quae malo praecipitetur: Nihil enim, aut agere, aut dicere metuit, quod contrarium sit saluti et sicut saepe videmus in his qui insaniunt, cum semel perdidissent sanitatis statum, nihil jam ultra metuunt, nihil erubescunt, [44r] sed licenter omnia et dicere audent et facere, etiamsi in igne prouant, non declinant, etiamsi in praecipitium aut profundum non revocant pedem, ita et qui desperatione capti sunt, in tolerabiles fiunt, per omnes malitiae vias discurrunt: pudor nihil prohibet, metus nihil inpedit, praesentia non vetant, futura non terrent: Sola mors est, quam evadere non possunt, propter quod deprecor, priusquam vehementius inebrieris mali huius veneno.

Exsurge, quaeso te, et expergiscere aliquando et diabolicam hanc depone temulentiam, quodsi ad subitum non potes, paulatim certe et sensim recollige animos tuos: quamvis ut mihi videtur facilior via sit, omnia simul abrumpere et mali hujus retenacula pariter cuncta resecare atque ex integro ad exercitia converti paenitentiae. Si autem tibi hoc difficile videtur, ut vis, ut putas tantum sume initium aliquod melioris viae et aeternae vitae desiderium cape ita, quaeso et obsecro, et per illa [44v] te merita, quae prius quaesieras, exoro ac per illam libertatem quam prius gerebas, obtestor sic te iterum in illo cernam virtutum vertice consistentem et illo rursus patientiae robore solidatum. Parce mihi amanti te, parce omnibus, qui pro te scandalizantur et pro tuo lapsu labuntur parce cunctis qui pro tua desperatione desperant, nec putant se posse viam virtutis incedere, si te ad eam redisse non videant, respice quaeso te, quantus nunc maeror, omnem sanctorum fratrum habeat chorum et quanta laetitia atque exultatio incredulis fiat, quantae desidiosis aduliscentibus de te fabulae. Quanta, quae eis ad praecipitia luxuriae de te crescat auctoritas. Quod si redeas denuo ad illam priorum virtutum viam, omnia haec vertentur in contrarium, nostrum quidem dedecus et confusio ad illos migrabit. Nos vero erimus in gaudio multo et laetitia; toto enim orbe te libidinis victorem [45r] sordidae et stultae voluptatis victorem luxuriae praedicabimus et triumphi tui coronas scribemus: Ista est enim major et vera victoria, quae post lapsum conqueritur, quae post pugnam reparatur. Tu vero non solum prop[ri]i laboris et emendationis tuae merita consequeris, sed et mercedem pro illorum salute percipies, qui ex tua conversione capientes exemplum ad poenitentiam se abjecta desperatione convertent. Nec erit post haec aliquis, qui quolibet lapsu defectus non statim resurgere cupiat et statim se [re]parare festinet. Quaeso te, ne contempnas tam magna haec et tam grandia lucra, ne animas nostras cum tristitia ad ineros mittas, sed da nobis paululum respirare et eam, quae nos

tui causa velavit maestitiae a¹⁾ nobis nubem depelle. Ecce enim nunc propria obliviscentes mala tuos casus lugemus, sed si vellis sursum²⁾ aspicere paululum et amorem caelestem capere. Hac³⁾ nos quiete lamentatione⁴⁾ liberares et pro nostris jam faceres nos cogitare delictis; quod autem possunt homines p[er] pe[nitenti]am [ad splendor]em [pristi]num [//////////]⁵⁾

[Reliqua in folio legi nequeunt.]

Begleitworte zu den im Jahrgang XXX (1909) der »Studien« abgedruckten 4 Artikeln, betreffend die Wahl des Papstes Urban VI.

Von Dr. Franz Pl. Bliemetzrieder, O. Cist.

Es erübrigt noch, den vier in den vorausgehenden Heften publizierten Schriften erläuternde Bemerkungen beizufügen, nämlich zum Gutachten der juristischen Fakultät Padua, zum Traktat des Kardinals Elziarius de Sabrano, und zu den Schriften des Lodovicus de Placentia und Johannes de Florentia. Es sind lauter Gelegenheitsschriften, juristische Abhandlungen, welche die Legitimität der Wahl Urbans VI. verteidigen wollen, veranlaßte oder freiwillig gegebene Begutachtungen von kompetenten Persönlichkeiten, d. h. von Professoren der damals anerkannten ersten Rechtsschulen, wie von Bologna und Padua, oder von dort gebildeten Juristen, weiters von abhängigen Epigonen, die auch ihr Scherflein aus wirklicher oder affektierter Überzeugung, aus persönlichem Eigennutz beitragen wollten.

Die Fundorte der 4 publizierten Schriften sind am Kopfe der einzelnen Publikationen angemerkt; es sind Handschriften, die alle für die Geschichte des Schismas große Bedeutung haben. Ich habe darüber in meinem neuen Buch „Literarische Polemik zu Beginn des großen abendländischen Schismas“ Wien 1909 gesprochen. Der Traktat des Elziarius de Sabrano steht im Cod. lat. 594 fol. 157 und 164 der Bonner Universitäts-Bibliothek unter der Überschrift: Cardinalis Theatinus de scismate.

Als Lodovicus de Placentia, dessen Persönlichkeit nicht näher bestimmt werden kann, seine Allegationen schrieb, wahrscheinlich in Rom, war der Kardinal Franz Tebaldeschi bereits

1) *Cod.*: ne.

2) *Cod.*: rursum.

3) *Cod.*: haec.

4) *Cod.*: lamentationem.

5) deest finis.